

æterno Patri conæqualem, atque consubstantiali-  
Contendebant enim veteres Ariani ( apud S. Au-  
gustinum *lib. 2. contra Maximinum cap. 5.* ) ac  
subinde Servetus *lib. 2. de Trinit.* nec non Mini-  
stri Transylvani *lib. 2. cap. 6.* Pauli verba in  
hunc sensum esse flectenda: *Qui cum in forma Dei  
esset; hoc est, in forma externa ob mirabili-  
scilicet operum patratiorem omnibus conspicua;  
non rapina arbitratus est, esse se æqualem Deo;  
hoc est: non rapiendam arbitratus est æqualita-  
tem cum Deo, seu non est arbitratus, se propter  
Deo æqualem esse; quod rapinæ genus fuisse;  
sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens,  
quam scilicet suæ conditioni, & forti unice de-  
bitam agnoscebat. Cui interpretationi Erasmus  
quoque subscribit pro sua in Sectam Arianam pro-  
pensione.*

Ne porro sine quodam magni nominis suffra-  
gatore horrendum adeo portentum obrudant, de-  
cantant nescio quid ex Tertulliano, ut ajunt ipsi,  
*lib. de Trinit.* ubi ait: *quod quamvis (Christus)  
se ex Deo Patre Deum esse meminisset,  
numquam se Deo Patri aut comparavit, aut con-  
sulsit.*

At vanissimis hæc, corruptissimisque inter-  
pretibus cum Augustino reponere liceat: *Mira sunt,  
que dicitis; nova sunt, que dicitis; falsa sunt,  
que dicitis; mira stupemus; nova cavemus; falsa  
convincimus. Mira, inquam, illa sunt. Quis ete-  
nim non miretur, nefarios homines illos Scrip-  
tura verba violare, falsare, corrumpere, ut suis  
illam sensibus accommodent? Cum enim dicat  
Apostolus: Christus non rapinam arbitratus est,  
esse se æqualem Deo; quo plane ad litteram signi-  
ficatur, Christum non arbitratum esse, se rapi-  
nam admittiturum, si se Deo Patri æqualem exhi-  
beret, cum re ipsa talis sit; isti eo violato Scri-  
pturæ contextu, & contrario legunt, non rapiendam  
arbitratus est æqualitatem cum Deo; quasi  
vero non sint illæ phrasæ oppositæ. Quam me-  
rito igitur facillimis illis corruptoribus diceret Pau-  
lus Apostolus, quod alias Augustinus Pelagio  
reponebat: *Crede verba mea, & evanescat calum-  
nia tua.**

Nec minus nova est altera hujuscæ interpreta-  
tionis læcivia, Christum externam dumtaxat Dei  
formam habuisse ob mirabilem operum patrati-  
onem, ut de hac sola loquutus Apostolus intelli-  
gatur dum ait: *qui cum in forma Dei esset; De  
interna videlicet substantiali forma, que veram,  
propriamque Divinæ Naturæ communionem se-  
cum ferat, interpretantur præci Ecclésiæ Patres,  
Athanasius, Basilus, Gregorius Nazianzenus,  
Ambrosius, Cyrillus, Hieronymus, Chrysostomus,  
Augustinus, Hilarius; quos meliores inter-  
pretes novimus, quam quoscumque Socinianos,  
vel Arianos. Sed & falsa illa perinde, ac nova  
interpretatio esse convincitur. Eodem quippe sen-  
su Dei formam Christo tribuit Apostolus, quo  
servi, hoc est hominis, formam. Quis vero ita  
desipiat, ut Christo externam dumtaxat Humanita-  
tis formam, non veram ipsam hominis Naturam  
adscribat? Deinde Christum in Dei forma  
fuisse ait Apostolus antequam formam servi acce-  
peret: *Cum in forma Dei esset, formam servi acce-  
pit;* Sed antequam servi, seu hominis formam  
acciperet, non poterat esse in externa illa Dei  
forma per mirabilem operum patratiorem; cum  
antequam esset homo, miracula nulla patraverit,  
quibus externam illam Dei formam acquireret:  
erat igitur in interna propriaque Dei forma, seu  
in Divina Natura subsistebat; atque ita Deus perinde  
ut Pater erat. Perperam vero nobis Tertulliani  
auctoritatem obrudunt, *lib. de Trinit.* Nec  
enim Tertulliani liber ille est, sed Novatiani*

Hæretici, uti criticæ scientiæ periti probant di-  
vi Hieronymi testimonio *lib. 2. contra Rufinum*,  
& *lib. de Scripturis Ecclésiasticis*, imo nec Tertul-  
liani liber ille esse potest; cum in eo Sabelliani  
data opera confutentur, quos diu post Tertullia-  
num exortos esse, nemo nescit. Quamquam ta-  
men si penitus perpendatur, qui ex eo libro lo-  
cus objicitur, Filii cum Patre consubstantialita-  
tem nequaquam oppugnat; imo potius adstruit:  
cum illud ex Deo Patre Deum esse significet: sed  
id unum innuit, Christum Dei Filium numquam  
se Patris comparasse, aut cum illo se contulisse; vi-  
delicet quo ad dignitatem principii processionis,  
Patri singularem, ac propriam; qua nempe se-  
cundum humanum concipiendi modum Pater con-  
ferri quodammodo potest Filio major, ordine vi-  
delicet processionis, non Naturæ dignitate: uti  
in sequentibus ex Patrum sententia confirmabi-  
mus.

Hinc inconcusso, & ab omni Arianorum ca-  
villatione vindicato testimonio, ut Filii Divini-  
tas eisdemque cum æterno Patre consubstantiali-  
tas comprobentur, simillimum accedit *Joan. cap.  
5.* momentum, ubi adeo Christus se æterno Pa-  
tri æqualem predicavit, ut ob id ipsum a Ju-  
dæis ad necem questus sit: *querabant, inquit  
Evangelista, Judæi eum interficere, quia non so-  
lum solvebat Sabbatum; sed & Patrem suum dice-  
bat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quod alteri  
eiusdem Evangelistæ testimonio, geminum est,  
*cap. 10.* ubi narrat: Christum lapidibus oppre-  
tendum fuisse ab iisdem Judæis, quod se Deum fe-  
cisset; unde illos ita Christum alloquentes indu-  
cit: *de bono opere non lapidamus te, sed de blas-  
phemia: quia tu homo cum sis, facis te ipsum  
Deum.* Quid iis amabo testimonis disertus, ut  
Christum Divinitatem, & cum æterno Patre æ-  
qualitatem sibi vindicasse demonstraret?

At hæc nihilominus solita dicacitate testimo-  
nia cavillantur blasphemæ obreptores Socini-  
ani. Inquunt etenim, eam quidem Judæorum  
de Christo fuisse opinionem, quod ille Dei æqua-  
litatem ambivisset, Deique titulum esset æmula-  
tus; quamvis tamen longe aliter ille de se ipso  
sentiret. Porro ex Judæorum de Christi opinio-  
ne efficax aliquid repertur nequit argumentum. Et  
vero, subjungunt illi, Christum ad necem Judæi  
querebant duplice de causa: tum quia solvebat  
Sabbatum, tum quia æqualem se Deo faceret:  
Porro falsa erat hæc de Christo Judæorum opi-  
nio, quod Sabbatum a Moyse religiose præce-  
ptum solvisset ille: quid ni & falso pariter sine  
opinati, eum sibi Divinitatem arrogasse?

Verum, inquit ego ex opposito, si ea Judæo-  
rum de Christo existimatio ( quod scilicet esse  
Deum sese, ac Dei Filium predicasset ) falsa  
erant, cur eam Christum non illico retudit? Quo-  
ties enim falsa de ipso Judæorum animus subibat  
opinio, hanc ille protinus repellebat. Cur impa-  
dam calumniam non illico repulit? Cur eis vi-  
deri maluit Divinitatis prædo, ac Divinorum ti-  
tulum æmulator? Cur ad mortem se peti pas-  
sus est, quod sese Filium Dei fecisset, si id ab  
ejus animo procul erat? Sic etenim Judæi clama-  
bant: *nos legem habemus, & secundum legem de-  
bet mori, quia Filium Dei se fecit.* *Joannis cap.  
19.* Cur interroganti Caiphæ: *tū est Christus Fi-  
lius Dei benedicti?* perfractè respondit: *Ego sum.*  
( *Marci cap. 14.* ) Vera igitur erat hæc de Chri-  
sto Judæorum opinio, quod & verus Deus, Dei-  
que Filius haberi vellet. Porro si vera erat, at-  
que ab ipsomet Christo comprobata, cur non ex  
ea efficax repetamus argumentum? Dissimilis lon-  
ge erat altera de Sabbathi per Christum violatio-  
ne Judæorum existimatio. Eam quippe toties dif-  
fipa-

supavit ille, quoties hanc ei calumniam irroga-  
runt; multisque probavit, non idcirco violari a  
se Sabbatum, quod in eo aut miracula ederet,  
aut opera misericordiæ exerceret. Frustra igitur  
eo se scuto tegunt recentes Ariani, ut telum istud  
effugiant.

Accedit illud demum ex *cap. 10* Joannis cele-  
bratissimum, atque luculentissimum testimonium,  
quo Charybdim simul, & Scyllam vitari monet  
Augustinus *Tract. 36. in Joannem*: *Ego ( inquit  
apud Joannem ) & Pater unum sumus: quo Ora-  
culo ab Arii, & Sabellii erroribus æquo jure  
liberatur. Si enim Patris, & Filii esset una  
Persona, ut ajebat Sabellius, non diceret Chri-  
stus Dominus: Ego & Pater sumus. Si non ef-  
fet una Natura, ut ajebat Arius, non diceret  
Christus Dominus unum; quod unitatem  
Naturæ sonat.*

Præto est Arianorum responsio, id a Christo  
Domino de affectum, non de naturæ unitate di-  
ctum esse. Decantatissima, atque omnibus obvia  
responsio a veteribus Arianis olim allata, & a re-  
centioribus Transylvanis, Servetiæis, Sociniani-  
non recocta modo, sed ad nauseam usque vendi-  
cata. Quantum autem a veritate sit aliena, multa  
demonstrant. Enim vero usque adeo perspi-  
cium est, Christum hoc loco de Naturæ unita-  
te, atque consubstantialitate fuisse loquutum,  
dum ait: *ego, & Pater unum sumus; non de uni-  
tate affectum, ut Judæi ipsi, quantumvis animo  
rudes, id facile perciperint, eamque idcirco lapi-  
dibus oppetere voluerint, quod sibi eo verbo Di-  
vinitatem arrogasset. Cum etenim dixisset Chri-  
stus: ego, & Pater unum sumus; illico sustule-  
runt ( inquit Evangelista ) lapides Judæi, ut la-  
pidarent eum; addideruntque: de bono opere non  
lapidamus te, sed de blasphemia; quia tu homo cum  
sis, facis te ipsum Deum.* Eo itaque verbo se unum  
cum Patre Deum esse significavit unitate Natu-  
ræ. Quo circa Arianos lepide carpit Augustinus:  
*Ecce Judæi intelligunt, quod non intelligunt Ari-  
ani: Christum scilicet eo verbo sibi Divinitatem  
tribuisse, eandemque cum Patre Naturam, atque  
substantiam. Quæ etiam Christus ipse propositio-  
nis hujuscæ sensum aperuit, dum Judæorum furo-  
rem sedaturus, non mirandum esse inquit, quod  
sese Filium Dei nominasset: Vos dicitis: Quia  
blasphemus: quia dixit, Filius Dei sum? Idem est  
igitur, Christo ipso interprete, ego & Pater  
unum sumus, ac Filius Dei sum. Unitas igitur  
Naturæ, non affectum dumtaxat verbis illis ex-  
pressa est. Sed nec illud omittendum, quod Atha-  
nasius *Orat. 4. contra Arianos* observat, justos  
omnes piæ voluntatis affectu, atque concordia  
unum esse cum Deo, nec tamen idcirco justum  
ullum inventum esse, cujus ex ore vox illa pro-  
dierit; ego & Pater unum sumus. Quidpiam ita-  
que multo altius, multo dignius sonat illa Chri-  
sti Domini celeberrima vox. His momentis co-  
ronidem imponet observatio longe gravissima, ex  
qua argumentum ad hominem adversus Arianos  
petere liceat. Æternitatem uni vero Deo ita pro-  
pria Ariani quique fæte veteres, seu recentiores  
esse volunt, ut qua perfidia Filio consubstantiali-  
tatem cum Patre negant, eidem quoque æterni-  
tatem eripiant. Hinc Christum antequam in ute-  
ro Virginis homo fieret, nullatenus existisse palam  
apertèque contendebat. Hinc illud apud eos  
volitabat axioma decantatissimum: *erat aliquan-  
do, quando non erat: hoc est, tempus erat,  
quo necum Christus ullo pacto erat. Si ergo  
palam ostendero, Christum Dominum diu ante-  
quam utero Virgineo conciperetur, imo ante  
mundi constitutionem, atque ex ipsa æternitate  
substitisse re ipsa; an non argumento erit, Deum**

æternoque Patri consubstantiali esse? Id porro  
per gradus ostendo. Imprimis Christum Dei Fi-  
lium diu ante existisse, quam mundo illucesceret,  
evinct, quod de se ipso ( *Joan. cap. 8.* ) inque-  
bat: *antequam Abraham fieret, ego sum.* Erat ita-  
que antequam utero Virgineo conciperetur; lon-  
ge quippe post Abraham conceptus est homo.  
Sed & altius originem suam petit Christus *Joan.  
17.* ubi postioni proximus ita Deum Patrem ad-  
precabatur: *Nunc clarifica me Pater apud temeriy-  
sum claritate, quam habui priusquam mundus esset,  
apud te: cui concinens Præcursor sanctissimus Ju-  
dæis identidem prædicabat: qui post me venturus  
est, ante me factus est; Joann. 1.* Paulus quoque  
ad *Colossenses 1.* omnia per ipsum & in ipso crea-  
ta sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso  
constant. Erat ergo Christus secundum Personam  
ex ipsa æternitate, atque ita Deus, æternoque  
Patri consubstantialis.

Quid plura? Cregandi vim, atque potentiam  
uni vero Deo propriam perinde fatebantur Ari-  
ani, & fateatur & hodie Sociniani; Mandumque  
hunc Universum nonnisi a vero Deo conditum  
profiterentur. Si ergo Christum ostendero Mundi  
conditorem, an non argumento velut a postero-  
ri, & ad hominem, Deum illum evincam? Id  
porro vel uno testimonio faciam manifestum, ut  
cætera mittam propemodum infinita: in ipso (in-  
quit Apost. ad *Colossenses cap. 1.* ) *condita sunt  
universa in Cælis, & in terra, visibilia, & invi-  
sibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Prin-  
cipatus, sive Potestates. Omnia per ipsum, & in  
ipso creata sunt.* Stat ergo Christi Divinitas,  
eiusdemque cum æterno Patre consubstantialitas  
ex Sacris Litteris omni momentorum genere de-  
monstrata. In sequenti Christi Dei Filii Divini-  
tatem ex ipsomet Christiani nominis hottium tes-  
timonio vindicabimus.

## PRÆLECTIO VI.

Christi Æterni Patris Filii Divinitas ipsorum etiam  
Gentilium, & Judæorum, Christiani nominis  
hostium testimonio comprobatur.

Quod Christi Divinitatem Sacram Scriptu-  
rarum Oraculis hæcenus comprobata,  
nunc tandem Christiani nominis hostium,  
Gentilium scilicet, Judæorumque testificatione  
confirmare aggrediar, facit maxime D. Augustini  
monitum sapientissimum *lib. 2. de Doctrina Chri-  
stiana cap. 40.* *si qua forte vera, & Fidei nostræ  
accommodata dixerunt, maxime Platonicis, non so-  
lum formidanda non sunt, sed ab eis sanquam  
injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.*  
Et sane si quid hostibus nostris instituto nostro  
percommodum excidit, quid ni quæso id ego  
confestim arripiam; & ad augendas Ecclésiæ Ca-  
tholicæ vires usurpem? Neque enim Sacre Theo-  
logiæ Tractatorum in Scholis, quam litigantium  
in Foro iniquior conditio debet esse; quibus auxi-  
tortum ex adversa parte suffragium tuendæ causæ  
plus prodest, quam ab amico delibatum. Nemo  
itaque me reprehendat, si quam adversus Arianos  
litem jampridem instruxi, nostrorum etiam ho-  
stium, Gentilium scilicet, Judæorumque auctori-  
tate redintegrare aggrediar. Erit id profecto susce-  
pta causæ, totique idcirco Ecclésiæ admodum  
opportunitum, si in hacce Academica Exercita-  
tione palam ostendero, Gentiles ipsos Christiano  
nomini inimicos Fidei nostræ dedisse suffragium;  
secretiorique Divini Numinis astiturum factum esse,  
ut Christi Divinitas, unde tota Catholicæ Reli-  
gioni virtus inest, a Gentilibus etiam, atque Ju-  
dæis testimonium acceperit.

A Gentilium Vatribus, Sybillis scilicet ducam exordium; quæ Christi Divinitatem suis etiam carminibus prædicarunt. Tametsi igitur is ego non sim, qui imprudenti criterio excipere velim omnia, quæ sub Sybillarum nomine carmina venditantur, quæque octo libris continentur *Tom. 1. antiquæ Bibliothecæ Patrum*, in quibus infinita propemodum continentur rationi temporum, & Personarum conditioni palam, aperteque contraria; ea tamen velut spuria amandare, atque contemnere jure non possum, quæ a prisca olim Christianis, primisque Ecclesiæ Patribus in Religionis Christianæ commendationem laudata, & in ipsos Ethnicos non semel a nostris contorta sunt. Imo mirari fas est neque hac nostra ætate temporum inventos esse, qui dicerent, ea carmina Sybillarum pia Christianorum fraude fuisse supposita; ut ea arte Ethnicis illaderent, & Christianam Religionem adversus illorum calumnias tue- rentur. Quasi vero? Quænam pietas illa est, quæ tantum nefas fudere prisca Christi Fidelibus potuit? Quinam illi sunt, qui primi ea Sybillarum carmina tamquam Christianæ Religionis adventuræ, Ethnicis objecerunt? Num forte ex infima Christianorum plebe homunculi, scituli, blaterones, bambaliones, nugivendi? Imo viri sacre eruditione, atque doctrina præcipui, Religionis Christianæ defensores diligentissimi, atque cautissimi: nimirum Origenes *lib. 5. contra Celsum*; Justinus Martyr *in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem*; Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromatum*; Lactantius *lib. 1. Divinarum Institutionum cap. 6.* Augustinus *lib. 18. de civit. Dei cap. 23.* Quos omnes nemo prudens sibi finxerit usque adeo effrontes, aut imprudentes extitisse, ut ea Sybillarum carmina Ethnicis obijcere voluerint, quæ summæ apud eos auctoritatis non fuissent. Et certe si inaccurato forte criterio & imprudenti credulitate spuria Sybillarum vaticinia jactitassent Patres illi, non usque adeo desides, suarumque rerum ignari Gentiles extitissent, quin eorum illic imprudentiam, jactationemque retudissent. At certior erat, atque constantior Sybillinorum carminum auctoritas, quam ut ab Ethnicis in dubium vocari ullo modo posset. Illi enim ipsi sunt, qui ea carmina in manibus diu habuerant, eaque postmodum igne absumpta diligenti investigatione, & publica legatione perquiri, conquesta examinare, ac demum examinata, spuris nonnullis rejectis, probari, & custodiri curaverant. Idque, quod notandum magis, ante Christi adventum, ita volente Deo, ut quæ adversus eos Christiani ex iis carminibus objectatur erant, nulla ab eis possent imposturæ suspitione labefactari.

Enim vero Sybillina carmina Tarquinii superbi ætate Romam allata, Syllani temporibus cremato Capitolio conflagrassent, testes sunt Dionysius Halicarnassensis *lib. 4. Hist. Romanæ*; Plinius *lib. 13. Hist. lib. 13. & Calliodorus in Chronico*. Postmodum septem circiter annis elapsis restituto Capitolio ex Senatus-consulto tres viros Erythras delegatos esse, qui Romam Sybillina carmina ex vetustissimis monumentis eruta reportarent, testis est Varro apud Lactantium *lib. 1. cap. 6.* Nec ab Erythris tantum, sed ab aliis quoque Orbis partibus, ab iisdem Legatis quaesita esse carmina Sybillarum, ac Romam delata, auctor est Tacitus *lib. 6. Annalium*, qui & insuper addit, eadem illa jussu Augusti Imperatoris fuisse recognita, atque purgata. Quod & Svetonius *in Octavio Augusto cap. 31.* suo calculo comprobatur, testaturque simul, Augustum Cæsarem, habito eorum carminum singulari delectu, eadem illa duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi condi-

diffe; adeo ut primis Christianis ea carmina in Catholica Fidei gratiam contra Ethnicos publice jactantibus nulla imposturæ calumnia possit obtrudi. Unde & re ipsa effectum est, ut cum nihil illorum carminum auctoritati reponere Ethnici possent, Imperatores Christianis omnibus Sybillinorum Carminum lætionem poena etiam capitis interdixerint. Testem rei profero Justinum Martyrem *in Apologia 2. ad Antonin. Pium Imperatorem*; ubi rem prolixè admodum exequitur, nec sine Ethnicis perfidiae derisione. Ac ne quis eum, utpote Christianum, suspectum esse velit, legat, si mavult, Imperatoris Aureliani ad Romanum Senatam Epistolam apud Flavium Vopiscum *in Aureliano*; ubi non fuisse securum Christianis Sybillinos libros legere, & scrutari diserte testatur.

Jam vero his ita præmissis, bonoque in lumine posita Sybillinorum carminum auctoritate, quid pro Christi afferenda Divinitate ex Sybillinis versibus reportamus? Multum per omnem modum. Sybillæ Erythrae omnium celeberrimæ carmen istud est, a Constantio Imperatore in Catholica Fidei gratiam memoratum, ut legitur in Constantini Oratione ad Sanctorum Cæterum apud Eusebium *cap. 18.* ab Henrico Valeio adnotationibus illustratum Editionis Cantabrigensis pag. 700.

*E Cælo tunc Rex venies per sæcla futurus,  
Scilicet ut totum presens disjudies orbem.  
Vsurique Deum infidi sunt, atque fideles,*

Rursus audite sequentia.

*Sublimem in carne humana sanctaque catero,  
Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.  
Horrida tunc tellus dumis stivefiet acuis.  
Resciet simulacra homines, aurique metalla.  
Inferni portas factis sinut impete rumpent  
Squalentes manes, & pura luce fruentur.*

En, si bene advertitis, vaticinatur Sybilla venturum de Cælo Regem æternum mundi hujus Judicem futurum, adeo ut in carne positus Deus a Fidelibus, & Infidelibus cerni possit. Quis ille porro in carne positus, nisi Deus noster Christus?

Item illud longe clarissimum apud Natal. Alexand.

*Unus, & æternus Deus hic, servator & idem,  
Christus pro nobis passus, quem carmina si-  
gnant.*

Quæ Carmina a Cicerone e Græco idiote latine fuisse reddita, testis est ipsemet Constantinus *cap. 19.* apud eundem Eusebium. Sed & illa eadem Erythrae Sybilla tam artificiose de Christo vaticinata est, ut initiales ejus carminum litteræ græcam hanc sententiam redderent, ut notavit D. Augustinus *lib. 18. de civit. Dei cap. 22.* *Ἰσθὶς Χριστὸς οὗτος Ἰσθὶς* hoc est: *Jesus Christus Dei Filius Salvator.* Carmina hæc ex integro refert Constantinus Imperator cum Achroftico, ut vocant, apud Eusebium *sub ejus viro finem.* Quin & hoc ipsum Achrofticon a Cicerone observatum esse, utcumque videti potest: quippe qui *lib. 2. de divin. se* vidisse commemorat Sybillæ carmina, quæ initialibus litteris sententiam aliquam significarent.

Nec perspicue minus Cumana Sybilla de Christi Divinitate pronuntiavit. Ea siquidem hujusce Sybillæ carmina, quæ Virgilius Maro Mysteriorum nescius Salonino Afinitii Pollionis Filio perperam accommodat *Egloga 4.*, nonnisi de Christi

Di-

Divinitate, ejusdemque Incarnatione, de silentio per Christum falsis Oraculis indicendo, deque nova Lege per ipsum instituta debere intelligi multis ostendit Constantinus Imperator Oratione ad Sanctorum Cæterum cap. 20.

*Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.  
Magnus ab integro sæclorum nascitur Ordo;  
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;  
Jam nova progenies Cælo demittitur alto.  
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
Casta fave; &c.*

Et post pauca:

*Te duce si qua manens sceleris vestigia nostri,  
Irrita, perpetua solvant formidine terras.  
Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit  
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis;  
Pactatumque reges patriis virtutibus Orbem.*

Et hæc tamen Sybillæ carmina Virgilius sacrorum Mysteriorum nescius, Salonio Pollionis Filio per errorem accommodavit. Quæ Christo Domino, si eum forte novisset, multo certius accommodasset.

His Sybillarum Oraculis de Christo nostro procul dubio fuis, ac pronuntiatis, addunt plerique nostrum, Apollinis Delphici Oraculum longe disertius, quod certe si veritate constaret, nihil posset luculentius ad Christianæ Religionis confirmationem afferri. Erat, inquit illi, ante Christi tempora oculum Apollinis Delphici oraculum, nec ultra consultantibus usitata responsa dabat. Hujusce silentii causam dederat Quintus frater apud Ciceronem, his præjudiciis occupatus (quam tamen reprobata ipsemet Cicero *lib. 2. de Divinat.*) evanuisse iniquis vetustate loci falsum illum terræ halitum, quo solet propheticæ mens incallescere, eaque ratione fastidicæ Apollinem conticuisset. Verum quænam reipsa foret tam alti silentii causa, idem ipse licet invitatus tandem aliquando effari coactus est male mulctatus Apollo. Augustus Imperator Apollinis studiosissimus eidem obtulisse fertur hecatombem, ut silentii hujusce causam resciret. Hoc autem ab illo Oraculo responsum accepit, illustre Incarnati Dei testimonium.

*Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans  
Cedere loco jubet, tristemque redire sub Or-  
cum;  
Avis ergo debinc taciti discedite nostris.*

Ita referunt Nicephorus *lib. 1. hist. cap. 17.* Suidas, Cedrenus, quibus & ipse fidem aliquando præstiti. Verum rebus subinde mature discussis deprehendi, totum id esse falsissimum; tum quod nato Pueri Hebræi, de quo iis in versibus sermo fit, seu Christo Domino, nunquam Cæsar Augustus in Græciam venerit, ut Apollinem Delphicum præsens consulere posset; tum quod Oraculum Delphicum non illico nato Christo conticuerit; sed sua quoque responsa ad quartum usque sæculum consultantibus dederit, extremumque vale non Augusto, sed Juliano Apostata dederit. Quare nihil ad Christi Divinitatem comprobendam ex eo facto velim extundere. Felicis longe multo ex Imperatorum Ethnicorum Historia aliqua delibabo.

Quandoquidem autem de Augusto Imperatore sermo incidit, de secutis inde Romanis Imperatoribus Ethnicis pauca dicam, qui Christi Divi-

nitatem agnoverunt, ac etiam commendarunt. Primus in ordine habendus venit sine controversia Tyberius Cæsar, quo imperante Christus Dominus morti traditus est. Is etiam de rebus a Christo Domino præclare gestis a Pilato Judææ Procuratore, qui ad ipsum vitæ ejus, ac necis acta transmisserat, certior factus retulit ad Senatam Romanam, ut inter Deos Christianis referretur; adeo scilicet Divinitatem ejus agnoverat. Abnuvit Senatus, sive propter supplicii dedecus, quo extinctus est Christus, sive propter Judaicæ Gentis, e qua ortus erat, infamiam, sive ex secreta quadam amulatione, quod conscriptis Patribus inconsultis rem bene totam egisset Imperator, sive etiam, quod credere malim, quia externa sacra recipi jam vetuisset Senatus ipse, uti legitur apud Livium *lib. 39.* Stetit nihilominus in incepto Tyberius Imperator, Christianosque ob eam, quam gerebat, de Christo opinionem singulari benevolentia fovit. Auctores hujusce Apotheosis Christi Domini a Tyberio tentata habemus Justinum Martyrem *in Apolog. 2. ad Antoninum Imperatorem*, ac Tertullianum *cap. 6. & 21. Apolog.* viros quidem christianos, sed ea in parte minime suspectos: quandoquidem hæc illi Senatui, Populoque Romano denunciabant; & ad illa ipsa Pilati acta, uti Christi Divinitati apertissime suffragantia libere provocabant: quorum falsitatem, si quæ fuisset, Romani certe non sine ludibrio detexissent; nec sine Christiani nominis derisione fugillissent.

De Adriano Imperatore nonnihil Instituto nostro percommodum refert Aelius Lampridius, auctor licet Ethnicus: illum scilicet Templam sine simulacris iussisse fieri, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, ut Christo Jesu consecraret, nisi sacrorum consultores deterruissent; veriti nempe, ne si id fecisset Adrianus, ad Christi partes, relicto Idolorum cultu, universi transirent. Extræ etiamnum ætate sua hæc ab Adriano excitata Templam, testatur Lampridius ipse; hujusque generis, si credimus D. Epiphano, extiterit Templam duo, Tiberiense, & Alexandrinum; quæ a Judæis in prophanos usus conversa fuerant: verum primum illud a Josepho comite, alterum ab Athanasio repurgata, & perfecta sunt, & Christo Domino non tam tributa, quam restituta.

Non absimile quidpiam de Alexandro Severo narrat idem Ethnicus Auctor Lampridius in ejus vita: illum quoque Christo, uti Deo omnium optimo, Templum extruere, eumque inter Divos solemniter cooptare voluisse. Quod etsi nefariis consiliis circumventus executioni non demandavit, non levis est tamen Christi Divinitatis ab Ethnicis quoque agnita (quanquam imperfecte) demonstratio.

Ab Ethnicis ad Judæos gressum facio, a quibus identidem Christi Divinitatis confessionem vis ipsa veritatis extorsit. Atque id in primis observatione dignissimum est, prisca Judæos recentioribus candidiores Messia venturi Divinitatem in Veteri Testamento consignatam agnovisse. Extant veterum Rabinorum collecta testimonia, quibus Messiam futurum Deum & Hominem prædicarunt: eaque ipsa loca, quibus *Tetragrammaton* Dei nomen *Iehova* in sacris voluminibus scriptum est, ad Messiam congruere docuerunt. Quæ omnia, tametsi probandæ Jesu Nazareni Divinitatis contra Judæos haud magni momenti videri possint, utpote quem illi pro Messia non habent; retundendis nihilominus Ariantibus, Socinianis, aliisque hujusce surfuris tenebrionibus, cum quibus res nobis est in hac Disputatione, decretoria plane sunt. Si qua enim illis veteri Synagoga fides est, vel Jesum Messiam

rega-

negare tenentur cum Judæis, vel ejus profiteri, ac venerari Divinitatem nobiscum compelluntur, si eundem, uti Messiam, agnoscent.

Sed & adest, qui Judæis æque, atque Arianis opponi potest, ex Judæis ipsi locupletissimus testis, idemque celeberrimus Scriptor Flavius Josephus, cujus de Christo Domino testimonium lib. 18. *Antiquit. cap. 4.* exaratum nulla unquam delibit obliquo, nulla pseudocriticorum importuna dicacitas vel levi litura notabit: *Eodem tempore fuit (Flavii Josephi verba sunt) Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilem operum patrorum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis, quam de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum a nostræ Gentis Principibus Pilatus cum addidisset Crucis, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo Vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt: & usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.*

Egregium profecto, atque ære dignum de Christi Divinitate, Miraculis, Doctrina, Resurrectione testimonium, utpote a viro & genere, & religione Judæo, atque a Scriptorum Apostolicorum ferme temporum celeberrimo datum. Sed quia a nonnullis intemperantis criterii viris tanquam Josephi libris aliena manu additum, & a priscis olim Christianis pio dolo, ut ipsi loquantur, ascriptum obtenditur, ad ejus auctoritatem, atque veritatem vindicandam sequentem Academicam Exercitationem destinamus.

## PRÆLECTIO VII.

Flavii Josephi de Christo nobile testimonium vindicatur.

Flavii Josephi Scriptoris Apostolicorum temporum celeberrimi, genere, & religione Judæi, splendidissimum de Christo Jesu testimonium vindicandum aggredior adversus nonnullos Criticos viros, qui spurium illud, additum, & recenti manu Josephi libris ascriptum obtendunt. Quare juvat illud ante omnia in memoriam revocare, ut qua de re nostra futura sit disputatio, omnibus innotescat. His illud verbum expressum est lib. 18. *Antiquit. Judaic. cap. 4.* *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilem operum patrorum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis, quam de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum a nostræ Gentis Principibus Pilatus cum addidisset Crucis, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo Vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt: & usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.*

In quo quidem vindicando testimonio doleo vicem meam, qui cum bellum pro tuenda Christiana Religione susceperim, nunc demum adversante fortuna Christianorum impetus sustinere cogar. Ex hoc enim ordine illi ipsi sunt, qui hoc nobis nobile testimonium eripere adituntur; Faber scilicet Tanquillus, Casaubonus, quamquam Calvinii gregales, atque inter Catholicos Dupinius, aliique nonnulli, qui, modo criticam artem suam exerceant, minus profecto curant, si oblique saltem Judæis patrocinium impendant. Utrumque tamen se res habeat, stabo in incepto, & Josephi de Christo nobile testimonium contra paucos illos, seu Christiani nominis tantum (uti priores) seu etiam veræ Fidei Professores (uti

posteriores) quos tamen moderatioribus fuisse mallem, ab importunis cavillationibus vindicabo.

Cur illud Josephi de Christo D. testimonium genuinum omnino, atque indubitatum existimem, nec pia, ut aliqui volunt, Christianorum fraude illius libris ascriptum, facit imprimis constans, atque perpetuus Codicum omnium Josephi, five exaratorum consensus, five typis editorum, in eo retinendo consensus. Facit & Eusebii auctoritas, qui illud jam a tertio Christiani nominis seculo in libris Demonstrationis Evangelicæ, tum in Ecclesiastica Historia tanquam genuinum ejus fœtum, atque legitimum representavit. Expressit illud quoque latine D. Hieronymus lib. de Script. Ecclesiast. & Josepho citra dubium adjudicavit. Retulit id ipsum in Epistolis S. Isidorus Pelusiotus. In historiis vero suis consecravit Sozomenus, Cedrenus, Nicephorus, Suidas; atque hinc porro continua serie ad nos usque propagatum est. Quod si ad alicujus scriptoris auctoritatem probandam abunde non sufficit, vix ulla Veterum lucubratio, uti genuina probari, ac demonstrari a quoquam poterit unquam.

Suadet hoc idem præterea & ratio. Neque enim verisimile est, Josephum Scriptorum diligentissimum, accuratissimumque, cum per viginti Historiarum libros Judæorum illorum temporum res persequeretur, de eo profusus tacuisse viro, qui maximus in ea gente, ac per universum fere Orbem excitaverat motus, factionemque considerat de nomine suo longe notissimum. Nihil tamen, præter hæc verba a nobis initio recitata, de Christo Jesu apud Josephum occurrit; adeoque si spuria illa sunt, illiusque libris aliena manu ascripta, Josephum de Jesu omnino tacuisse necesse est. Quod quis credit?

Rursus quis putet, Josephum elogio suo dignos censuisse Joannem Baptistam, & Jacobum fratrem Domini, illoque lib. 18. cap. 7. & lib. 20. cap. 8. commendasse, celebrasse, summisque laudibus extulisse; indignum vero mentione sua Jesum Christum existimasse? Ego quidem ut fatear ipse, quod sentio, idem plane reputo, Jesum a Josepho commendari, & Joannem Baptistam elogio celebrari, cum Christi prædicator, & encomiasticus Joannes extiterit. Quare vel ascriptum Josephi libris utriusque commendationem existimo, Christi scilicet, & Joannis, vel utramque ex æquo genuinam, atque germanam agnosco. Sed & illud insuper observo, Josephum lib. 20. *Antiquit. cap. 8.* de Jacobi Apostoli nece differenter, ut illum lectoribus notum faceret, distincte adnotasse, fratrem illum fuisse Jesu Christi. Quæ certe adnotatio satis indicat, aliquid saltem in antecessum de eo Jesu Christo dictum fuisse, unde jam notior lectoribus factus esset. Quomodo enim ex Jesu Christi consanguinitate Jacobus lectoribus innotesceret, si Jesus ipse alto silentio prætermisus lectoribus esset ignotus? Aliqua itaque de Jesu Christo mentio in antecessum facta est, quæ tamen nulla profusus extat, si, quod expendimus, Josephi testimonium spurium esset.

Verum quid Aristarchi severiores opponant audiamus; hinc etenim spero fore, ut Josephi de Christo testimonium in controversiam adducti auctoritas meliori in lumine collocetur.

Itaque Origenem non uno loco scripsisse ajunt, Jesum nostrum a Flavio non fuisse pro Christo agnitum; jmo Josephum varicina Prophetarum Christi prænuentia five ex assestantione, five ex animi sententia Vespasiano accommodasse. Cum tamen in eo, quod expendimus, testimonio Jesus clarissimis verbis Christus fuisse dicitur: *Χριστός ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ: Christus hic erat.* Ita importuni Censores.

Ve.

Verum nec nos idcirco putamus, Jesum a Flavio Josepho pro Christo vere agnitum esse; in Christianorum enim castra illico transisset. Quod certe non fecit. Aliter ergo possumus, imo debemus verba hæc in eo, quod expendimus, testimonio contenta sumere: *Christus hic erat*, quod significatum voluerit Josephus, Jesum non esse revera Christum illum, qui ab Israelitis expectabatur; sed solum vulgari appellatione Christum nominari consuevisse. Quod alibi, dum de Jacobo sermonem habet Josephus, idem conceptis verbis expressit, Jacobum scilicet fratrem appellans *Jesu Christi υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ*: ac sic quidem Josephi phrasim intellexit D. Hieronymus, dum testimonium illud, quod expendimus, latine reddidit, *lib. de Script. Ecclesiast. ubi sensum auctoris, verbis insuper additis expressit: ita quippe reddidit: Χριστός υἱὸς τοῦ θεοῦ, & credebatur esse Christus.*

Et quidem usque adeo Jesum ita nuncupandi mos invaluerat, ut non eum duntaxat discipuli ejus Christum dicerent, se & illi ipsi, qui ab eo averti erant. Unde Pilatus, quem vultis (ajebat) dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? *Matth. cap. 27.* Et paulo post: *quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Impii quoque Satellites: Prophetiza, quis est, qui te percussit? Luca cap. 22.* Imo nec aliter Ethnicis ipsis innotuerat Jesus, quam ex Christi nomine: unde Svetonius in Claudio, *Judeos impulsore Christo, assidue tumultuantes Roma expulsi*; & Tacitus lib. 15. *Annalium cap. 44.* *auctor nominis hujus Christus, qui Tyberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Dum ergo dixit Josephus *Χριστός υἱὸς τοῦ θεοῦ, Christus hic erat*, suppleri voluit *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ*, ita dicitur: perinde ac Pilatus ipse, dum Christo in Cruce pendulo epigrammæ apposuit *Jesum Nazarenus Rex Judæorum*, subaudiri voluit, a se ipso dictum & a suis: quod etiam distinctius explicari Judæi postulerent, *nos scribere Rex Judæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum*, ratam nihilominus scripturam suam haberi voluit: *quod scripsi scripsi; Joan. cap. 19.*

Ejusdem generis est, quod secundo loco adversus illud Josephi testimonium proferunt importuni cavillatores, ut illud spurium, & additum ostendant. Josephus, inquit illi, Jesum pro Deo habere non potuit, cum & Religione Judæus esset, & secta Phariseus: hunc vero Deum profusus agnoscit hujusce lascivæ quisquis est auctor: *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere, Erat enim mirabilem operum patrorum.*

Sed quis non videat id oratorio more a Josepho dictum esse, ut prodigiorum a Christo patrorum admirabilitatem extolleret: quasi dixisset: talia, ac tanta gessit vir iste Jesus, ut Deo, quam hominibus proprior videatur? Abundant ejusmodi locutionibus Scriptorum antiqui, optimi dicendi magistri, adeo ut viros aliquo virtutum genere excellentes, Deos etiam appellent: Cicero lib. de Orat. *te in dicendo semper putavi Deum*; scilicet ob fecunditæ excellentiam: Terentius: *facio te apud illum Deum*; tuas videlicet prædicando virtutes: Virgilius Egl. 1. *Erit ille mihi (Augustus) semper Deus*; ob suscepta nempe beneficia: Notum est & illud Corvini Panoniæ Regis epitaphium apud Jovium:

Corvini brevis hæc Urna est, quem magna fatentur  
Fassa fuisse Deum, fassa fuisse hominem.

Quid ni ergo eo sensu Jesum a Nazareth Deum Serry Tom. IV.

vocitasset Josephus ob prodigiorum ab ipso patrorum excellentiam?

Tertiam repudiandi hujusce testimonii rationem repetunt Adversarii ex stili, ut ajunt, discrepantia, quam in ea de Christo periodo subdoranatur, atque ex minore cum iis, quæ præcedunt, atque sequuntur cohesione.

Ego quidem viris hifce maximis gratulor, quibus tam emunctos nares largitus est Deus, ut stili discrepantiam vel in unica periodo subdoranatur. Mihi quidem tam acutum, ac solertem esse non licet; nam nihil horum mihi subolere fateor; Nec ovum mihi videtur ovo similius, quam tota illa periodus reliquarum Josephi scripturum similis est. Nec est cur illam cum reliquis a Josepho ibidem memoratis minus coherere dicant. Cohereret profecto maxime, si minus spectata materiz conditione, at habita saltem ratione temporum, de quibus scribit: *narrat quippe eo capite Josephus, quæ sub Pontio Pilato tum in Judæa, tum Romæ contigerant, etsi memorati ab eo casus diversi ab illo sint, qui de Christo refertur.* Familiare enim historicis est, disconvenientes, diversasque narrationes congerere, pro ut rerum varietas postulat: quod ni facerent, magna voluptate lector, magnis historia fraudaretur ornamentis. Quid vero in ea, de quibus Josephus narrabat, melius opportuniusque caderet, quam de Jesu Nazarenæ commemoratio: qui tantos ea ætate excitaverat motus, & ab ipso Pontio Pilato supplicio affectus erat?

Addunt Viri queruli, falsum esse quod illic legitur, *Jesum plurimos de Gentibus sectatores habuisse.* Cum ex his unam tantum, alteramve mulierem ad sui sequelam traxisset. At vero ad suum tempus respiciebat Josephus, cum ita scriberet, dum scilicet maximis jam incrementis Christiana Religio dilatata erat, & ad Ecclesiam Gentiles Populi convolverant: idque Christo jure tribuit, quod per Christum, ejusque virtutem se facere Apostoli prædicabant.

Subjungunt, absurdum esse, Josephum, cujus animus in Ethnicorum vanitatem potius, quam in Apostolorum disciplinam inclinabat, fatentem inducere, Prophetas prædixisse casus, & gesta Jesu Nazarenæ, ac reditum præsertim ad vitam, uti profecto fecit hujusce lascivæ quisquis est auctor. Sed & id eodem sensu ab eo dictum est, ac superius illud *Christus hic erat*: quod perinde est, ac si dixisset: *cum credatur hic esse Christus, prædictiones Prophetarum, qui Gentis nostræ Messiam promiserunt, in eum feruntur.*

Nihil majorem difficultatem creat, quod hujusce testimonii, quisquis est auctor, observavit: Christianorum genus a Christo denominatum ad hunc usque diem non deficere: quasi vero ea loquendi formula usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficere, scriptorem redoleat ævi admodum posterioris, qui multo post tempore scriperit; atque ita Josepho recentiorum. Minime vero. Imo satis superque est, quod Josephus annis circiter quadraginta post Christum in Cælos assumptum historiam adornaret, ut jure scribere poterit, Christianorum genus a Christo denominatum ad suam usque diem non deficere. Certe D. Matthæus anno post Christi passionem duntaxat undecimo Evangelium scripsit; & tamen de agro ex Judæa proditoris pecunia cœempto sermonem habens ait: *propter hoc vocatus est ager iste haceldana: hoc est: ager sanguinis usque in hodiernum diem, Matthæi cap. 27.* cum tamen anni vix undecim effluxissent.

Restat ultimum, quod, ut fatear, diu me, multumque torfit, argumentum: Quæ videlicet forte fieri potuisset, ut tam multi priorum scriptorum

C Iorum

lorum Christianæ Religionis defensores, tam validum Josephi testimonium ad causam Ecclesiæ tuendam non usurpant. Non Justinus; non Tertullianus; non Clemens Alexandrinus; non Origenes; non Irenæus. Cur non illud Photius ipse protulerit, qui Josephi summarium, censuramque dedit. Illud enim tot illos, tantisque viros non omisso fuisse verisimillimum est, si & in Josepho legissent, & pro genio habuissent.

Verum tam alti silentii Veterum Patrum causa fuerunt doli, fraudesque Judæorum, qui tam nobile de Christo Jesu testimonium ex pluribus Josephi codicibus expunxerant jam a primis post Josephum temporibus. Firmat in primis conjecturam nostram Baronius ad annum Christi trigésimum quartum, ubi a Judæis abstratum fuisse scribit hoc Josephi de Christo dictum relicto patentibus literarum signis, atque vestigiis in veteri quadam ipsorum membrana in Vaticana Bibliotheca asserta, qua Josephi Historia de Græca in Hebraicam linguam translata continetur.

Non me fugit, Cafaubonum hanc Baronii adversus Judæos criminationem falsitatis suspectam habuisse. Verum is parum æquum Baronio spectante probatissimo viro se præbuit. Facti enim est illa, non juris controversia; in qua fidem probo viro derogare, qualis profecto Baronius erat, hominis fuit partium studio nimis abrepti; sed & vitium etiamnum hodie Codex ille a Judæis interpolatus in Bibliotheca Vaticana, & Baronium mutus absolvit.

Firmat quoque conjecturam nostram cum aliorum, tum præcipue Justinii Martyris in *Dialogo cum Tryphone*, similis imo gravior adversus Judæos querela; dum illos procaces, ac adulteratrices manus sacris voluminibus intulisse ait, si quando perfidiæ ipsorum aliquid contrarium occurreret. Et certe propheticum illud de Virgine Oraculum *Isaie, ecce Virgo concipiet*, mutarunt in hoc: *ecce juvenula in utero concipiet*. Similiter reciderunt plura ex Jeremia, ex Esdra, aliisque Sacra Scripturæ libris; quemadmodum etiam ex *Psalm. 95*, illud, quod legitur, *Dominus regnavit a ligno*, mutilarunt, verbum ultimum abradentes; ut per totum Dialogum illum videre est; quod & Hieronymus sæpius observavit. Quidni porro idipsum de Josephi Testimonio, quod expendimus, suspicemus; in quod sibi forte juris aliquid arrogabant?

Eandem illam suspicionem non auget modo sed & omnino cumulat, quod de aliis Josephi locis ad Catholicam Religionem apprime facientibus pari a Judæis fraude violatis observant bene multi. Plura enim vero hujus generis Josephi testimonia exhibent, & in Catholica causa patrocinium proferunt Origenes, Eusebius, Hieronymus, & alii, quæ in ipsius libris hodie desiderantur. Quid ergo? Falsarios dicemus tanti nominis Viros? Minime vero. Longe credibilis est, hæc e Josephi libris expunxisse præcos illos Judæos, qui cum tam memorabiles Christianæ Religionis testimoniationes a suo clarissimo Scriptore consignatas pati non possent, has dolo malo abolere aggressi sunt; majorumque suorum cadem, atque servitiam fraudibus suis, ac nefariis artibus cumularunt. Adulteratis ergo jam pridem, & nobili hoc de Jesu Testimonio multatis plerisque Exemplaribus, mirari quid subit, si præci illi Christianæ causa defensores, in multis forte Josephi codicibus incidit, tamque illud Testimonium in causæ suæ patrocinium asciscere nequiverint? Quamquam & illorum alta silentia Eusebius, & Hieronymus, quibus emendatioribus codices occurrerunt, abundantissime referant, dum testimonium illud ex integro describere.

Stat ergo inconcussum, omnique cavillatione superius, Flavii de Christo testimonium. Cur vero, cum ita de Jesu nostro digne sentiret, Christianæ nihilominus Religionis nomen minime deriderit, rationem proferet Augustinus; quia Christianum non evanida veritatis noticia facit, sed amor. Erat enim, si seire vultis, Flavius Josephus ex illa virorum quorundam aulicorum gente; quibus pro arbitrio & omnis, & nulla Religio est: hoc illi de Jesu nostro testimonium vis veritatis extorsit; sed maluit suos inter magister haberi, quam inter Christi discipulos computari. Nec vero solus ille ex Judæis ætate fuit ita affectus animo. Multos extitisse memorat D. Epiphanius *heres. 30*, qui licet Jesum verum Messiam certissime noscerent, suis tamen commodis plus æquo additi palam illum profiteri, atque defendi detestabant; seu quod hominum oculis abjecta nimis, & Tyrannorum diris commissa Christi Religio videretur, seu quod nimiam suis in Professoribus Christus Dominus morum castimoniam, pietatemque exposcere iis forte videretur. Quæ duo Josephum de Christo nostro licet alte sentientem ab ejus fortassis Doctrinæ, ac Religionis professione dimovere poterunt.

Jam e longo diverticulo in viam redeamus oportet, ut quam Dei Filii Jesu Christi Divinitatem cum Sacrarum Scripturarum Oraculis, tum Christianæ Religionis hostium suffragatione probavimus, eandem Veterum Patrum Traditione vindicemus. Erit hoc potissimum sequentis Exercitationis argumentum.

## PRÆLECTIO VIII.

*Filii Divinitas probatur auctoritate Patrum Concilio Nicæno superiorum.*

Postulat instituti Operis ratio, ut qui Christi Divinitatem adversus veteres, & recentes Arianos ex Scripturis primum, tum ex Christianæ Religionis hostium auctoritate demonstravimus, eandem domesticorum, hoc est, veterum Christianorum, ac Patrum communi suffragio, ac Traditione comprobemus. Veterum quippe Traditionum alteram Fidei nostræ regulam esse nemo Catholicus negat; eamque potissimum Traditionem, quæ ad nos usque ex illorum, ut ita dicam, manibus venit, qui Christo veritatis fonti viciniores extiterit; non qui procul ab eo, magnaque temporum intercapedine floruerunt. Quia manantes ex eo fonte rivulos, cum longius a scaturigine recesserint, paululum infici, & externarum rerum admixtione turbari necesse est. Unde & primus legumlator Moyses: *memento, inquit, dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi; Deuteron. 32.*

Imo ipsi etiam Protestantes, qui Majorum Traditionem alteram Fidei regulam non agnoscunt, si suis propriis stare velint, eandem saltem, uti constans veritatis argumentum, tenentur agnoscere, dum communi Patrum assensu firmatur, qui quatuor prioribus sæculis floruerunt. Cum enim Ecclesiam toto eo tempore nondum corruptam erroribus fateantur, sed secutus duntaxat sæculus in errores paulatim degenerare contendat; primos Christianos, primoque Patres, qui quatuor prioribus sæculis Ecclesiam illustrarunt, uti certos veritatis testes, atque magistros tenentur accipere, dum ex concordati sensu, atque sententia loquuntur.

De primis ergo Christianis, Patribusque antiquæ Traditionis testibus dum loquor, ad Christi Divinitatem adversus Arianos continuandam, non est

est cur de iis sermonem instituum, qui post annum trecentésimum vigésimum quintum, quo prima Nicæna Synodus celebrata est, floruerunt; cum illorum auctoritatem rejiciant Arianus; ac ultro citroque concedant, illos Concilii Definitioni dedisse manus; Symbolum ejus, quo Filii Divinitas, & consubstantialitas asserta est, amplexos esse; Divinitatem Christi disertis suffragiis confirmasse. De iis duntaxat agendum est mihi, qui ante annum trecentésimum vigésimum quintum, quo sacra illa Synodus habita est, Ecclesiam illustrarunt, quos Arianus passim cum veteres, tum recentiores a suis partibus stare contendunt.

Dies me deficiet, si universa primorum Christianorum, Patrumque Nicæno Concilio superiori testimonia proferre velero, ut primam de Christi Divinitate Traditionem vobis exponam; nec tam Exercitatio Academica habenda mihi esset, quam Volumen integrum, illudque spiritum in medium proferendum. Quare Argumentum hoc summam, & acervatim pertractabo potius, quam minutatim, & singillatim, ne & vos plus justo detineam, ipseque ego memoria laborem.

Primo ergo, Majores nostros Christianos illos primos, qui Spiritus Sancti primitias una cum Apostolis acceperunt, a quibus Traditio omnium prima repetenda est, Christi Divinitatem agnovisse, coluisse, adorasse, non domestica modo, sed & externa, atque ab ipsis Ecclesiæ hostibus petita Momenta plus satis evincunt.

Testis mihi est Plinius secundus in *Epistola ad Trajanum Imperatorem*, quæ est 97. lib. 10. Cum enim in Bithynia Proconsulem ageret Plinius, & ingenti, quos necayerat, Christianorum Martyrum clade defatigaretur, Trajanum Imperatorem ultimum tandem per Epistolam monuit, nihil se quidem in Christianis impietatis comperisse, aut excitata contra Imperiales leges molitionis, nisi quod stata die ante lucem conveniret, carmenque Christo suo, quasi Deo omnium maximo decantarent. Ita ergo perfectum erat, Christianos illos, qui Spiritum Evangelicum propius eberant, Christum, uti Deum agnoscere, colere, adorare, ut ne persecutores quidem Ethnicos id lateret.

Eadem illa de primis Christianis apud Judæos olim erat existimatio; illos scilicet Christum, uti Deum, habuisse, & adorasse. Interrogati enim Judæi quondam a Nostri secundo ventente sæculo, cur ipsi tam extorres, miseri, exules, desperati ubique vagarentur, id illico reponerant (quod mihi etiam non ita pridem a quodam ex ipsis responsum est) non aliam ob causam Gentem suam diuturnis calamitatibus, & exilio damnatam esse, quam quod unus ex ipsis, Jesus scilicet Nazarenus se Deum venditare ausus esset, & excitata ubique terrarum idololatria uti Deum adoraretur a suis. Hujuscæ Judæorum responsi insulsiorem non morabor hic: patet enim illa per sese. Si etenim Christus Dominus iniquus Divinitatis zëmulator fuit, certe in sceleris poenam calamitatibus, & miseriis jactanda potius esset Societas illa, quæ ejus voluntati obsecundat, quæ illum colit, atque adorat, ut Deum; quam quæ illum ob affectatos Dei titulos diris devovit, affecit suppliciiis, Cruci sufficit. Sed quod præsentis Instituti est, colligere nobis satis sit ex eo Judæorum responso, Christianos, qui Apostolicum Spiritum propius eberant, Christi Domini Divinitatem agnovisse, coluisse, idque adeo aperte, ac publice, ut Judæis ipsis non secus, ac Ethnicis exploratissimum esset. Quod primum veteris Traditionis argumentum est de Christi Divinitate.

Accedit alterum ejusdem ferme roboris, ac momenti petittum ex altero, non Christianæ quidem

Religionis, sed Christi Divinitatis hoem insensissimo, Eusebio scilicet Cæsariensi, quem livor tandem, ac rabies in Arianas partes conjecere; qui que tantam apud illos sibi famam fecit, ut Ariani ex ejus nomine Eusebiani vocarentur. Is ergo Eusebius lib. 5. *bist. Ecclesiast. cap. 28.* ex vetustis quibusdam Commentariis profertur, Justinum, Miltiadem, Clementem, Irenæum, Melitonem, aliosque bene multos priorum sæculorum Patres Christo Divinitatem tribuisse. Imo & addit, jam inde a primis Ecclesiæ temporibus Christianos Christo, uti Deo, laudes canere confuisse: *Sed & Psalmi* (verba sunt ejus) *vel Cantica, quæ a fratribus fidelibus ab initio scripta sunt Verbum Dei esse Christum, & Deum tota hymnorum suorum laude concelebrant.* Quo nullum antiquæ Traditionis documentum certius esse potest.

Addendum, quod de eodem Eusebio referunt Athanasius in Narratione de Concilio Nicæno contra Arianos; & Theodoretus lib. 1. *bist. Ecclesiast. cap. 13.* nempe confessum illum esse, Patres ætate sua superiores Verbum agnovisse: quod nimirum Christum æterno Patri consubstantialem agnovissent. Hanc quidem confessionem conceptis verbis in Eusebio scriptis hodie legere non licet, non ideo tamen, uti falsa, atque conficta rejici potest, Athanasio teste locupletissimo rei fidem faciente: sed ab Eusebio in congressibus, disputationibusque cum Athanasio ipso voce habitis, concessum illud fuisse, necesse est: Athanasii verba dabo; quod majoris admirationis est, inquit, *Eusebius ex Cæsarea Palæstina, cum pridem abnegasset, in eandem sententiam tamen postmodum subscripsit, quam etiam Ecclesia sua legendam misit dicens, eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem, Filium Patri esse consubstantialem.* Quid rogo vos, locupletius esse potest ea professi hostis testimonio? Hæc summam, ac generatim dicta sint. Sed quid jam, si in singulis Patres Nicæno Concilio superiores distinge, ac speciatim inquiram ad eam de Christi Divinitate traditionem referendam? Quam amplè dicendi materies sese offeret? Pauca tamen dicam ad promulgam fidem, Patrum sine controversia Chorum duceret S. Dionysius Areopagita, si vere illius esset, quæ sub ejus nomine Opera circumferuntur. Nihil enim disertius ad præsens Institutum esse potest, quam quod legitur in *lib. de mystica Theologia cap. 2.* *Jesus super substantialis Deus humanæ naturæ substantia factus est.* At cum liber ille ejus re ipsa non sit, sed Scriptoris quinti duntaxat sæculi, non est cur de Dionysii Areopagite suffragio gloriemur ad Christi Divinitatem comprobendam.

Verum ejus loco præsto nobis est S. Ignatius Martyr Patrum Ecclesiæ sine controversia antiquissimus, qui ab ipsis Apostolis Antiochenæ Ecclesiæ post D. Petrum Episcopum consecratus est; imo qui Christum Dominum puer vidit. Is etenim parvulus ille fuisse dicitur, quem Christus statuit in medio Discipulorum de primatus dignitate disputantium, dicens: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Celorum;* Matth. 18. Is ergo ita scribit in *epist. ad Antiochenos suos: omnis, qui ita annunciat unum solum Deum, ut tollat Christi Divinitatem, is est Diabolus, & inimicus omnis justitiæ.* Quo eleganti elogio Ariani pro suis meritis celebrantur!

Sequitur S. Martialis Apostolorum Discipulus in *Epist. ad Burdigalenses, cap. 10.* (si tamen ejus est): *Itaque nihil discretum in Divinitate Trinitatis sentiat, quia vobis unus, & idem Deus, qui cuncta creavit, Pater, & unus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, filius ejus Jesus Christus; & unus idemque Deus Spiritus Sanctus, in quo*

quo omnia subsistunt. Et hæc in personis tria divisa; in divinitate unus Deus indivisus est. Filius ergo unus idemque Deus cum Patre est.

S. Justinus in apologetico 2. ad Antoninum Pium Christum Deum illum ipsum esse affirmat, qui Moysen allocutus in rubo dixit: ego sum, qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Quis ergo illum verum Deum esse negaverit?

Athenagoras Justino æqualis in Apologia ad Imperatores M. Aurelium Antoninum, & Aurelium Commodum, Armeniacos, Sarmaticos, & quod maximum est, Philosophos: Quis igitur non miscetur, nos, qui Deum Patrem predicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum sint, & ordinis distinctionem exponamus, impius, & sine Deo homines vocari? Quibus verbis distinctionem, seu ordinem inter Divinas Personas agnoscat, eandem tamen in iisdem Virtutem nempe Naturam.

S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 6. totus est in probanda Christi Divinitate, hoc momento ex Scripturarum auctoritate petito: neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli cum, qui non esset Deus, definitivo, & absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex suis Personis, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium ejus. Filius itaque Deus omnium Dominus est peinde, ac Pater, judice Irenæo.

S. Clemens Alexandrinus lib. 3. Pedagogie circa finem ait: laudent Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, qui est unus Deus, & in quo omnia unum sunt, & per quem sunt omnia. Certe si Deus est, per quem omnia, & in quo omnia, quis negat, eum verum esse Deum?

Tertullianus lib. contra Praxeam eandem Filio, quam Patri Divinitatem adscribit cap. 8. Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicitur; Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est; & Sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre; quia, Ego & Pater unum sumus. Hæc erit probatio veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus filium a Patre, sed non separatum.

S. Cyprianus lib. 2. ad Quirinum Christum verum Deum esse ex Instituto probat, eique ea Divinarum Veteris Testamenti Scripturarum testimonia accommodat, quæ soli vero Deo convenire perspicuum est: ut illud Genesis 35. Dixit autem Deus ad Jacob: Exsurge & ascende in locum Bethel, & habita illic, & fac illic altare illi Deo, qui tibi apparuit, cum fugeres a facie Esau fratris tui. Et illud Isaia 45. Sic dicit Dominus Deus Sabaoth: Fatigata est Ægyptus, & negotiatio Ethiopia, & Sabaim viri alii ad te transgredientur, & tui erunt servi, & post te ambulabunt vincitæ compediis, & adorabunt te, & in te precabuntur; quoniam in te Deus est, & non sciebamus, Deus Israel Salvator. Confundentur & reverebuntur omnes qui adversantur tibi, & cadent in confusionem: & alia hujusmodi bene multa, quæ in Prophetis passim occurrunt. Quæ certe si de Christo venturo dicta fuerunt, ut asserit Cyprianus, hunc verum Deum esse profecto cognovit.

Sileo S. Gregorium Taumaturgum, Dionysium Romanum, alterum Dionysium Alexandrinum, & Origenem; quorum suffragia recitat D. Athanasius in Narratione Concilii Nicæni contra Arianos, ne vos prolixiori Patrum commendatione detineam.

Hoc tamen monere juvat, non admodum in investiganda Origenis mente, hodie infundandum esse, ne inutilem operam locemus. Ita quippe ab Arianis secutis subinde temporibus scripta ejus interpolata, violataque sunt, ut vix certi quidpiam ex eis colligere liceat. Sed cum fuerit inter Divinitatis Filii assertores ab Athanasio, atque etiam a D. Basilio lib. de Spiritu Sancto appellatus, Arianis nihil tunc in oppositum mustantibus, liberalis ingenii foret, Origenem egregio illo titulo defraudare.

Declarata jam, bonoque in lumine collocata veterum Patrum sententia circa Christi Divinitatem, ejusdemque cum Patre Consubstantialitatem, expendere necesse est, quid sibi SS. Patrum aliqui velint, qui Patrem æternum Filio superiorem, Filiumque vicissim Patri subiectum sepe numero appellaverunt, petito scilicet illius assertionis fundamento ex illis Christi Domini verbis Joannis 14. Pater major me est; & ex altera Apostoli sententia 1. Cor. cap. 15. cum autem subiecta fuerint illi omnia (nimirum Filio), tunc & ipse Filius subiectus erit ei, (scilicet Patri) qui subiectus ei omnia.

Et quidem, si eas loquendi formulas in cute tantum, ac superficie consideremus, plana, & obvia interpretatio suppetet per omnium ora volitans; nimirum, Christum, uti hominera, Patre minorem, eidemque esse subiectum; tamen, uti Deus est, eidem sit per omnia coequalis, juxta celebratum illud dictum Symboli S. Athanasio vulgo adscripti: æqualis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Verum interpretationem hanc minime prætulerunt quorundam Patrum Testimonia; Gregorii scilicet Nazianzeni, Basilii, Cyrilli Alexandrini, Chrysostomi, Athanasii, Tertulliani, Hilarii; qui Christum etiam uti Deum, Patre minorem agnoscerunt. Quid ergo? Ita ne Patres illos Arianis concedemus, tanquam impii dogmatis assertores? Abiit: maxime cum certo certius sit, horum aliquos, uti Athanasium, Hilarium, Chrysostomum Arianam Hæresim data opera, ac principe studio impugnasse, confutasse, debellasse. Quid itaque sibi volunt? Illud unum; nimirum, Patrem æternum in ratione principii Processionem quadam, ut Schola loquitur, relativa dignitate, atque præstantia, gaudere, Filio, ac Spiritui Sancto minime communi: sic etenim Pater Filii, & Spiritus Sancti principium est, ut hi vicissim Patris principium nequaquam sint. Quæ tamen excellentia, atque præstantia Patris, cum mere relativa sit, absolutam in Natura aequalitatem minime lædit. Ne quis vero putet, questum de Scholæ tribulis, ac vepretis suffugium illud esse potius, quam legitimum eorum Patrum interpretamentum, S. Cyrilli Alexandrini verba dabo, quibus & suam, & aliorum Patrum sententiam in eum plane modum exponit lib. 2. Theosar. cap. 3. Quærens ergo (inquit) secundum rationem substantie Patris, æqualis, & penitus similis sit, major tamen ipso Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo quia ex eo Filius est: & sic principium Filii secundum originem Pater est. Quæ sane datam a me interpretationem mire confirmant. Reliquum modo est, ut asserta jam, ac in tuto posita adversus Arianos Catholica veritate, ad eorundem Hæreticorum Momenta exsufflata animum convertamus; quod in sequentibus Deo favente præstabimus.

PRÆ.

N O T A.

Hæc argumenta, quæ communia sunt Arianis, atque Judæis Christi Divinitatem ex æquo negantibus, exhibere placuit in Tractatu de Incarnatione, ubi de Christi Divinitate pariter agitur. In IX. namque Prælectione Lector ibidem reperiet, quæ hic justis de causis omittenda duximus.

## PRÆLECTIO IX.

Spiritus Sancti Divinitas contra Eunomianos, & Macedonianos Hæreticos demonstratur.

DE Spiritu Sancti Divinitate sermonem mihi nunc habituro id statim occurrit animo, quod prudenter, æque, & erudite monet D. Hilarius lib. 2. de Trinitate, inquit: de Spiritu autem Sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed siteri a nobis eorum causa, qui nesciunt, non potest. Quod ut ego sum nunc religione exequi possim, duplicem duntaxat pro ejus vindicanda Divinitate Exercitationem institui. Primam, ut eam Scripturarum, ac Patrum Testimoniorum contra Macedonianos, & Eunomianos demonstrarem, ac probem. Alteram, ut illorum in oppositum Momenta refellam.

Macedonianorum porro, Eunomianorumque Spiritus Sancti Divinitatem negantium deliratio Arianis omnibus fere Veteribus, seu Novis communis est error. Nemo enim Filio Divinitatem eripuit, qui non eam Spiritui Sancto denegaverit pari utrinque perfidia, atque blasphemiam. Non unus tamen, idemque est hujus erroris exponendi, ac ruendi modus; sed, ut suo ducuntur genio, nefarium errorem variis coloribus obducunt.

Macedonii Discipuli tenaciores, qui erroris ejus virus purius, verius dixerunt, impudenter ebiberunt, Spiritum Sanctum eo sensu Deum esse diffidentur, quod illum in Creaturarum ordinem derudendum velint. Alii, iique potissimum recentiores Macedoniani Spiritum Sanctum Deum esse omnino non negant; sed Dei ad extra agentis energiam, virtutem, & efficaciam esse volunt: seu verius, Divinam Omnipotentiam hominibus regendis, atque sanctificandis intentam; inquam tamen Personam subsistentem in Deo ab aliis re ipsa distinctam.

Quapropter, ut Ecclesie Catholice Fidem præfenti Exercitatione tueamur, duo nobis probanda veniunt. Primum; Spiritum Sanctum non Creaturam, uti Macedoniani priores obtulerunt; sed Deum esse: alterum; Spiritum Sanctum non Dei duntaxat Virtutem esse, Divinamque, ut ajunt, Omnipotentiam effusionem, & efficaciam, sed Personam in Divina Natura subsistentem. Quorum alterum si minus adversus Macedonianos probaremus, nihil profus ad revincendum errorem actum esset. Eja nunc de primo dicamus; & Spiritum Sanctum verum Deum esse ex facris potissimum Literis demonstreremus.

Explicatissimum illud est, ac prorsus invictum, quod Aitorum cap. 5. legere est: ibi quippe Ananiam, & Saphiram pecunie ex agro divendito susceptæ defraudatores ita coarguit Apostolici Cærus Caput, ac Princeps D. Petrus: Anania cur tenuerit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Tum quid sit ille Spiritus, in quem illi mentiri fuerunt, statim ostendit, ut admissi mendacii gravitatem exaggeret: non es mentitus, inquit, hominibus, sed Deo. Deum ergo Spiritum Sanctum agnovit ille, qui Spiritus Sancti primitias, ut Apostolus loquitur, primus ebiberat. Quo eleganti Testimonio Patres pene omnes Macedonianis jugulum petunt; Basilii lib. 5. contra Eunomium; Gregorius Nazianzenus Orat. 37. Cyrillus Dialogo de Spiritu Sancto; Theodoretus lib. 5. Hæret. subtilium; Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 4. Augustinus lib. 3. contra Maximianum.

Huic Testimonio geminum est, quod habet Gentium Apostolus 1. ad Corinth. 6. an nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus San-

cti, qui in vobis est? Quanquam vero Religione ipsa duce, atque etiam Naturæ sensu fati intelligamus, nulli nisi Deo Tempa poni; atque inde colligere certo possimus, Spiritum Sanctum, cuius corpora nostra Tempa sunt, Deum esse; id ad juris, ut ita dixerim, abundantiam explicatum voluit idem Apostolus, dum inquit: si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Aitorum 3. Quæ duo Apostoli loca si muruo consideras, Spiritum Sanctum conceptissimis verbis Deum ab ipso nominatum invenies. Duo namque ponit Apostolus: primum; corpora nostra Tempa esse Spiritus Sancti; alterum; Tempa esse Dei ex hoc ipso, quod Spiritus Sancti Tempa sunt. Id ergo certum, indubitatumque, Spiritum Sanctum Deum esse.

Ne quis tamen importunus obrudat, Dei nomen ab Apostolo per metaphoram tantum, ac nonnisi figurate, & translativo sensu iis forte locis usurpari, ubi illud Spiritui Sancto peculiari-ter accommodat, vitiligationes illas omnes amovet idem Apostolus, dum veteris Testamenti Oracula de vero proprioque Deo citra omnem dubitationem pronuntiat, de Spiritu Sancto intelligenda esse profertur. Id mutua veteris, & novi Testamenti collatione compertum est; E. G. Isaia 6. ita legimus: vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum. . . . Et dixit: vade, & dices populo huic: Audite audientes & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere: excæca cor populi hujus. Quod hic verus Deus Isaiam alloquatur, nullus, ut opinor, ibit inficias. At Spiritum Sanctum fuisse illum ipsum, qui ita Isaiam est allocutus, admonet Paulus Actor. 28. Bene inquit Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres vestros dicens: vade ad Populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non percipientis. Spiritus Sanctus igitur verus est Deus, qui Isaiam tunc est allocutus, illumque afflavit, & inspiravit.

Non absimiliter verus Deus citra dubitationem ille erat, qui Levit. cap. 16. Moysen alloquebatur: loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediaris Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo regitur Arca, ut non moriaris. Sed & hunc quoque, qui ita Moysen admonerat, fuisse Spiritum Sanctum auctor est idem Paulus Apostolus ad Hebræos 9. Nam ubi mandatum hoc a Deo datum Moysi commemorat, confestim subjungit, quid eo significare voluerit Spiritus Sanctus: hoc, inquit, significante Spiritu Sancto, nondum propalatum esse Sanctuarium tuum, adhuc priore Tabernaculo habente statum.

Rursus verus Deus ille est, qui Psal. 94. sic loquebatur: hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me Patres vestri. Hunc vero Deum non alium, nisi Spiritum Sanctum, esse idem ille Paulus significat ad Hebræos cap. 3. Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus: hodie si vocem ejus audieritis: & cætera, quæ recitantur in Psalmo.

Uno verbo, quin verus Deus ille fuerit, qui Prophetas afflavit, nemo aut dubitavit hætenus, aut dubitare merito potuit: Dominus enim Deus Israel locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum ejus; ut ait Zacharias in Cantico Luca 1. At Spiritum Sanctum esse illum ipsum, qui Prophetarum ore locutus sit, universim affirmat Petrus Apostolus epist. 2. Cor. cap. 1. Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines: sic ut perspicuum omnino sit, vel ne-

gandam omnino esse utriusque Testamenti confirmationem, vel Spiritum Sanctum uti Deum verum agnoscendum, & adorandum.

Cætera quid memorentur Dei Optimi Maximi insignia Opera, quæ ubique passim sacris in Literis Spiritui Sancto tribuuntur, ut illum ipsum Spiritum Sanctum Deum Optimum Maximum esse colligamus? Creatio totius Universi Dei Optimi Maximi opus? & hæc ipsa Spiritui Sancto tribuitur Psal. 32. Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis Virtus eorum: Justificatio peccatoris? & hæc a Spiritu Sancto esse dicitur: *Justificati estis in Nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri* 1. Corinth. 6. Vivificatio spiritualis? *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; vivificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, ad Rom. 8. Interior Ecclesiæ Gubernatio? *Attendite vobis, & universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; Actorum 20. Charitatis infusio? Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis; ad Roman. 5. Variorum distributio Donorum in Ecclesia? Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult; 1. Corinth. 12. Divinorum Secretorum intima penetratio? *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei; 1. Cor. 2. Immenitas? Spiritus Domini replevit Ordem terrarum; & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis; Sapientia 1. Virginis Deiparæ secundatio? Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi; Lucæ 1. Christi Domini inunctio? Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; Lucæ 4. & alia id genus pene sexcenta Scripturarum Oracula, quæ uti propria Dei Spiritui Sancto, tamquam vero illorum Auctori attribuant, atque adjudicant; ita Spiritum Sanctum Deum esse, necessaria consecutione demonstrant, veterumque Macedonianorum in abneganda Spiritus Sancti Divinitate inficitiam æque, ac impietatem in propatulo ponunt.**

Quo loco præterire nefas arbitror, quod D. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto nefariis illis veritatis Hostibus fidenter exprobrat; interpolatrices videlicet manus in sacros Scripturæ Codices intulisse; atque nefario Joannis illud Oraculum cap. 4. quo dicitur: *Spiritus est Deus, expunxisse; ne quod inde Veritatis præsidium Ecclesiæ Defensores accerferent. Literas quidem potuisset abolere, clamat Sanctissimus Doctor, sed fidem non potuisset auferre. . . . neque enim vos poteratis oblinere veritatem; sed illa litura de libro vitæ nomina vestra radebat.*

Videndum modo, an alii Macedoniani recentiores sibi melius consuluerint, qui cum Spiritus Sancti Divinitatem negare se omnino non posse certo videant, eo demum decidunt, ut Spiritum Sanctum intimam duntaxat Dei ad extra agentis Virtutem esse velint, Divinamque Potentiam creandis, ac regendis hominibus intentam; minime tamen subsistentem in Persona, saltem propria, atque distincta, uti Ecclesiæ Catholicæ Fides habet.

Figmentum hoc subtilissimum quidem excogitatum est, & ad eludendam infinitam propemodum Scripturarum Testimonia confectum; aliis nihilominus, iisque lucidissimis Testimoniis facile revincitur. Quamquam enim inficitiam omnino nolum, occurrere quandoque sacris in Literis Oracula quædam, ubi Spiritus Sancti nomine intima Dei Virtus intelligitur, fatendum nihilominus bona fide, extare & alia bene multa, quæ palam evincunt, Divinum illum Spiritum toties com-

mendatum re ipsa subsistere, ac in Persona quidem sibi propria, Præsto est, quod Christus de Spiritu Sancto tam sæpe repetit in Joan. Evangelio cap. 14. ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis: & cap. 15. Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: & cap. 16. cum autem venerit ille Spiritus veritatis: & cap. 14. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: & cap. 16. de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quæ profecto Spiritum Sanctum aliam esse a Patre, Filioque Personam plus satis indicant. Nemo enim, opinor, erit, qui id de Virtute aliqua, seu de Attributo Omnipotentia aliqua veri specie possit accipere, quasi aut Divina Virtus, aut Attributum Omnipotentia a Deo & dari, & mitti possit, aut etiam ab illo procedere valeat.

Confirmat hoc item, quod legitimus in Actis Apost. cap. 19. ubi cum Paulus venisset Ephesum, nonnullosque discipulos interrogasset, num Spiritum Sanctum accepissent, responderunt illi: neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Quæ jam ego: putatis, per fidem vestram, Paulum de activa Dei Virtute, deque Attributo Omnipotentia quæsisse, num illud Ephesini Discipuli accepissent? illosque vicissim de Attributo Omnipotentia respondisse, se de illo nequidem auferre, audivisse? Lepida profecto interrogatio; lepidior multo responsio illa fuisse. De Divina Persona quærebat Paulus, quæ in ipso Baptismate solebat tunc etiam sensibilibus dari, de qua tamen nihil adhuc audiverant Ephesini Discipuli; tum quod nondum Baptismate Christi baptizati essent; tum quod nondum Trinitatis Mysterium fuisset illis prædicatum. Est itaque Spiritus Sanctus Divina quædam Persona in Trinitate subsistens, non activa Dei Virtus, non Omnipotentia, aliudve simile Attributum, uti laxiores Macedoniani contendunt.

Accedit, quod interdum Personis Divinis adnumeretur Spiritus: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Martib. cap. 28. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; epist. 1. Joanni. cap. 5. quod certe minus accurate diceretur, si Virtus duntaxat, aut Attributum quoddam esset; non vero Persona in Deo subsistens, atque a reliquis omnino distincta.*

Idem adstruunt Spiritus Sancti Apparitiones, atque Missiones in Scripturis identidem enarratæ: nisi quis ita forte desipiat, ut Dei Virtutem, Omnipotentiam, aliave id genus Attributa & a Deo mitti, & sub certis symbolis conspicua fieri, seseque hominibus exhiberi, fabuletur: *descendit Spiritus Sanctus (inquit Lucæ cap. 3.) corporali specie, sicut columba, in ipsum: & Act. 2. apparuerunt illis dispersæ lingue tanquam ignis; sedique supra singulos eorum; & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.*

Is omnibus robur addit glorificationis Hymnus, jam a primis Ecclesiæ sæculis a Fidelibus recitari solitus, quo Spiritus Sanctus cum Patre simul, & Filio communiter colitur: *gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, cujus antiquitatis Testes locupletissimi sunt Tertullianus, Cyprianus, Basilus, Athanasius. Is porro glorificationis Hymnus usque adeo Spiritus Sancti Divinitati adstruendæ, ac profitendæ apprime congruit, ut Concilii Constantinopolitani Patres adversus Macedoniam specialiter congregati non illis pestiferam Hæresim verbis proscribendam arbitrati sint, quam Spiritum Sanctum unam cum Patre, ac Filio adorandum, & conglorificandum affirmando; hancque unam, uti locupletissimam Catholicæ Fidei de Spiritu Sancto Professionem Ni-*

cæno Symbolo addendam judicando: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: rati profecto, Deum illum dubio procul habendum, Personamque Divinam esse, quam unam cum Deo Patre, & Filio coleret, & adoraret Ecclesiæ: Hactenus in Macedonianos nostris armis pugnavimus aggressores: reliquum est, ut eorumdem tela provocati retundamus: quod in sequenti, Deo favente, præstabimus.

## PRÆLECTIO X.

Macedonianorum Momenta contra Spiritus Sancti Divinitatem reselluntur.

Sæpe mecum tacitus cogitavi, quid demum causæ fuerit, cur qui Spiritus Sancti Divinitatem tanto strepitu, tantisque conatibus oppugnarunt pauculis admodum, iisque levissimis ad tuendum Errorum Momentis, ac rationibus uterentur: donec mihi tandem venit in mentem, id iusto Dei judicio merito factum esse, ut qui Spiritum illum, ex quo tota Mortalibus virtus inest, oppugnandum aggrediebantur, omni plane virtute, ac mentis acumine destituerentur. Rem experimento comprobatis, si quæ illi in sui defensionem Erroris Momenta quæbant, paululum perpendatis. En Achillæum, ut ipsis quidem visum est, Argumentum, ex quo cætera discere liceat.

Spiritus (inquit Apost. ad Rom. 8.) postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Creatura igitur est: nec etenim Deus, utpote Supremus rerum Dominus, quidquam postulat, multo minus gemitibus inenarrabilibus. Ita illi. At quis hic vel mediocriter intelligens figuratam Apostoli locutionem non videat? Nisi enim hoc per figuram ab Apostolo dictum Macedoniani fateantur, Spiritum Sanctum Hominem dicere tenebuntur: cum & Homines soli gemitibus inenarrabilibus postulare aliquid possint. Quid ergo? Reddant integra Apostoli verba, ut evanescat calumnia: *Spiritus, inquit Apostolus, adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oramus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Eatenus itaque pro nobis postulat Spiritus Sanctus, quatenus nostram adjuvat infirmitatem, ut nos ipsimet postulemus: postulat, dum secretiori Afflatu, quid postulemus, inspirat: uno verbo, postulat, quia facit nos debite postulare; seu, ut Scholæ lingua dicam, postulat efficienter, non vero formaliter. Id ex altero Apostoli loco compertum est ad Galat. 4. misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater. Ecce Spiritum clamantem Abbas Pater: verum quo sensu clamantem? Audi Apostolum sui ipsius interpretem ad Rom. 9. accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Eo itaque sensu clamatur Spiritus, quod in eo (ejus scilicet inspirante Gratia) clamemus.*

Vultis aliud retundendæ Macedonianæ argutiæ opportunum Exemplum? Dabit Matthæus cap. 10. ubi de Apostolis legitur: *non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. An ergo Spiritus per sese ita in Apostolis loquebatur, ut ipsimet velut elingues, & inanimæ moverentur? Abit. Agebant & ipsi; loquebantur & ipsi; sed eo sensu Spiritus loquebatur in eis, quod verba, quæ loquerentur Apostoli, Spiritus ministraret. Unde in antecedentibus inquit: nolite cogitare, quomodo, aut quid lo-*

quamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Id ipsum de Spiritu Sancti postulatione, quod de locutione, dicendum ad Macedonianæ argutiæ confutationem.

Paris levitatis est, quod in ejusdem Erroris confirmationem ostentant Macedoniani ex Apostolo ad Ephesios 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Unde stolidè colligebant, Spiritum Sanctum Creaturam aliquam esse, propterea quod contristari ab hominibus possit. Quasi vero? Non ne Deus sacris in Litteris affici tristitia, ira, odio, aliisque passionibus animi commoveri; immo tangi dolore cordis intrinsecus dicitur? Sunt ergo hujusmodi locutiones metaphoricae profusæ, & improprie. Tam stulte ergo Spiritum Sanctum putram putamque creaturam esse ex eo loco colligebant Macedoniani, quam Deum corpus esse Anthropomorphitæ concludant ex hoc uno, quod & irasci, & dolere, & penitere, & loco moveri dicatur sacris in Litteris. Quibus addiderim ex D. Augustino lib. contra sermonem Arianorum cap. 25. Fideles quandoque dici contristare Spiritum Sanctum, dum Apostolicos Viros Præpositos suos, animarumque Rectores contristant; quia ipsi pro salute ipsorum secundum Spiritum Dei contristantur: juxta alterum Apostoli dictum: nolite vos contristare, qui secundum Spiritum Dei contristantur ex vobis. Quare nihil ex eo Apostoli loco extendere possunt.*

Sed neque melioris est notæ, quod ex Christi Domini dicto repetant Argumentum Joannis 16. cum autem venerit illi Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquitur a semetipso; sed quacumque audierit, loquitur. Unde colligunt Macedoniani, Deum verum non esse illum, qui nihil a semetipso loqui potest, sed Internuncii duntaxat, atque Interpretis vices gerit. Eodem profecto, aut certe simili argumento Ariani utebantur, ut Christi Divinitatem oppugnarent; dum illud Joannis 5. contra Filium objiciebant: *Non potest Filius a se facere quidquam. Quas utriusque tricas, atque cavillos, dum de Filii Divinitate ageremus, dissipavimus. Ostendimus quippe, iis loquendi formulis, Spiritus Sanctus non loquitur a semetipso; Filius non potest a se facere quidquam; id unice significari, habere unumquemque illorum loquendi, faciendique Virtutem, non a se ipso, sed a Patre, a quo Naturam habuerunt: ite quidem per Generationem, ille vero per Spirationem. Quare non subjectionis illorum, aut impotentia, sed Processionis argumentum est, quod nihil a se ipsis & loqui, & facere possint.*

Novas ex Amosi Prophetia suppetias quærunt Macedoniani; idque avidè arripiunt, quod cap. 4. habet: *firmans tonitruum & creans Spiritum, ut vertunt Septuaginta: hincque Spiritum illum toties in Prophetis commendatum nihil, nisi Creaturam aliquam nobiliorem, esse sibi fingant. Iisdem quoque ad Christi Divinitatem oppugnandam ventis ducebantur Ariani, eorum quidem judicio secundis, innumera Scripturæ loca congebant, quibus Æterna Sapientia creata a Deo dicitur: ab initio, & ante secula creata sum . . . & rursus: qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo; & alia, quæ sæpius in libris Salomonis occurrunt.*

Mirari subit, eo ineptiæ devenisse Macedonanos, ut eo Amosi loco, ubi de vento perspicue sermo est, quasi de Spiritu Sancto sermo fieret, abuterentur. *Ego Dominus, inquit Propheta, firmans tonitruum, & creans Spiritum; nempe spiri-*

rum procellarum. Quis id ad Spiritum Sanctum citra impietatem, & summam inficitiam labem detorqueat? At Sapientis Oraculum est: *qui nititur mendacis, hic passit ventos; Proverbior. 10.* Verum demus, si lubet, de Spiritu Sancto ibi sermonem esse. Itane ubi primum Spiritus Sanctus, aut etiam Aeterna Sapientia creati dicuntur, id stricta significatione sumendum est, ut in Creaturam ordinem propterea detrudantur? Absit. Sensibus longe multis obnoxia illa vox est latine *Creo* graece *γεννησις*, uti praemonet Athanasius *epist. de Decretis Nicaenae Synodi*. Quare eo ipso modo, quo Aeterna Sapientia creata dicitur: *ab initio; & ante saecula creata sum (Ecclesiastici cap. 24.)* eadem concepta quoque significatur: *nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram (Prov. 8.)* Productionem itaque simpliciter vox illa significat, quovis tandem modo illa fiat. Nec sine mysterio ea interdum voce Creationis, seu *γεννησις* usus est Salomon, ubi de Aeternae Sapientiae Generatione, aut de Spiritu Sancti Processione sermonem habet: ut nimirum & simplicitas Processionis & Productionis immutabilitas ostendatur. Quod observat D. Hilarius *lib. de Synodis*.

Haud satis Macedonianis, & Eunomianis visum est, Spiritus Sancti Divinitatem oppugnare: Ecclesiae etiam Catholicae, maxime vero Concilii Constantinopolitani Momentum potissimum, quo Spiritus Sancti Divinitatem propugnabat, convellere nitentur. Cum enim eo maxime titulo Spiritum Sanctum Deum esse declarasset Sacra Synodus, quod per Prophetas sit locutus, ut, ut hanc ipsam rationem infingerent, non Deum, sed Angelum per Prophetas locutum dicebant, eumque pro exemplo asserere, qui Zachariam Prophetam interius afflavit; de quo dicitur (*Zachariae cap. 4.*) *& respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me. Testem & illum addebant, qui Danielem Summum omnium Mysteriorum edocuit; Gabrielem scilicet, de quo dicitur: Ecce vir Gabriel cito volans tetigit me in tempore Sacrificii respertini, & docuit me, & locutus est mihi. (Daniel, cap. 9.)* Frustra ergo, (colligebant ii) ad arrogandam Spiritui Sancto Divinitatem, Hunc eo elogio ornatum voluit Concilium Constantinopolitanum primum in Symbolo: *qui locutus est per Prophetas; cum per Prophetas locuti sint Angeli.*

Verum dicant, amabo; quid sibi hoc Argumento velint nefarii Blaterones? Forte solos Angelos, Deo licet minime inspirante, Prophetas afflavit? Id si velit, universam Scripturam Sacram evertant necesse est; cuius est illud Dogma certissimum, Prophetiam facultatem non nisi a Deo esse posse: ipsum etiam, plus dicam, Naturae sensum penitus exuunt; iuxta quem nullus, nisi Deus, Futura libera internoscere certo potest. Norunt id Gentiles ipsi: *Pone Deos, & qui possint ventura videre, aiebat Manilius.*

*Scire nefas homini, quid crastina volverit atas;*  
*Nescia mens hominum Fati Sortisque futurae.*

inquit Poetarum alter. Aut e contrario Angelos, Deo ipso interius inspirante, & illuminante, Prophetas afflavit, & docuisse Macedoniani contendunt. Id si putant, bene est; & ad nostram Sententiam accedunt. Quid enim obest, quominus hunc Spiritum Sanctum Deum fuisse dicamus, qui, Angelis administris; Prophetas interdum edocuit, inspiravit, afflavit? Nec etenim Mini-

steria Angelorum intimam Dei Omnipotentis, qui illos in officium vocat, Virtutem, ac Praesentiam excludunt. Id aperto evincimus Argumento a Divinis Scripturis petito / Legem ab Angelis Moysi datam, ait Stephanus Protomartyr in ea celebri Concione, quam habuit ad Judaeos *Act. 7. accepistis Legem in dispositione Angelorum.* Id vero non obest, quominus Deus ipsemet Legem dederit, Moysenque praesens ipse sit allocutus: *loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum; Exod. 33.* Tanta ergo dementia est, Prophetas ab Angelis interdum edocuisse idcirco a Spiritu Sancto afflatos negare, ac si quis Regem idcirco suis Subditis imperantem inficiari vellet, quod in iis regendis Administratos interdum accersat, istque ad significandum Subditis voluntatem suam utatur.

Iis rationibus pulsus Macedoniani ad tricas, & cavillos confugiunt, atque ex ipsis Spiritus Sancti Dotibus Divinitatem ejus oppugnant. Spiritus Sanctus (inquunt illi) *Donum est & Pignus Hereditatis nostrae*, ut ait Apostolus: Persona itaque Divina non est: dare quippe Majestatis est: dari servilis proflus, atque infimae conditionis.

Rurtus (inquunt illi) quaevis Divina Persona fingatur esse, sic illa Pater, sic illa Filius, Spiritus est: quid enim Spiritus nomine venit in mentem, nisi Substantia ab omni materia foce secreta, uti sunt Pater, & Filius? Uterque pariter Sanctus est. Non itaque Spiritus S. Nomen tertiae cujuspiam Personae appellatio est.

Demum ita sibi videntur subtiliter disputare lepidi Theologastri: vel Spiritus Sanctus genitus est, vel ingenuus: si genitus, Filius est; si ingenuus, Pater erit: haec etenim propria est prima Personae Nomenclatura ut ingenua sit.

Verum nec rete Accipitri tenditur, neque Milvio. Sunt haec leviores tenebrae, quam ut iis Eruditius aliquis capi possit. Quid enim vetat, Spiritum Sanctum Personam simul Divinam, & Donum esse? Personam, inquam, quatenus in Deo subsistit, Donum, ut a Patre, Filioque datur? Etenim & Filius ipse datur a Patre, nec id ejus Majestati reputatur injurium: Sic enim *Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*, inquit Joannes *cap. 3.* Ne quis vero eum, uti Servum, a Patre dari sibi fingat, dedit & ille se ipsum: *dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de presenti Saeculo nequam; ad Galat. 1.* Ea tamen Spiritui Sancto magis propria ac vetui Characteristica Nota est, ut Donum dicatur esse, utpote qui nedom a Patre, Filioque datur Hominibus; sed id Processione sua sortitur, ut detur; quia procedit ut Amor, cuius proprium est dare.

Quod Spiritus Sancti Nomen attinet, de quo Macedoniani cavillantur, Gregorii Nazianzeni praecara vox est: *Judaica perfidia genus est, relictiis verbis, syllabis insidari.* Dent Macedoniani, quod Spiritus Sancti nomine ab Ecclesia significari certo sciunt; modica supererit de Voculo Controversia. Neque tamen jejuna, sterilisque putanda est illa Spiritus Sancti ab Ecclesia communiter usurpata Appellatio. Non enim Spiritus nomine Substantiam duntaxat ab omni materia foce secretam intelligimus, quo sensu quaevis Persona Divina Spiritus, & quidem Sanctus nuncupari merito possit; sed impulsam, & pondus Amoris intelligimus, quod unius, de qua differimus, Personae proprium est.

Ceterum Spiritum Sanctum nec genitum dicimus, nec ingenuum, sed Procedentem: Concilii To-

Toletani XI. Definitio est in Fidei Professione: *Spiritus Sanctus* (inquunt Hispaniensis Ecclesiae Praefules) *nec ingenuus, nec genitus creditur: non aut, si ingenuum dixerimus, duos Patres dicamus; aut, si genitum, duos Filios predicare monstrumur.* Quamquam tamen specialis quodam sensu ingenuus appellari potest, ab Aeterno Patre longe diverso. Pater quippe ingenuus idcirco dicitur, hoc est improdutus, quod a nullo tum generatione, tum quavis alia ratione procedat; ingenuus vero Spiritus Sanctus, quod a Patre, Filioque minime gignatur; tamen specialis alia ratione, videlicet Spiritatione, ab utroque producatur.

Reliquum modo est, ut Spiritus Sancti Divinitate probata, ac vindicata, Controversiam gravissimam ordiamur, quae jam a nono Christiani nominis Saeculo Graecam Ecclesiam magna ex parte cum Latina commisit. Controversiam intellige de Processione ejusdem Spiritus Sancti a Patre simul, & Filio; quam Latina propugnat Ecclesia, negat Graeca Ecclesiae pars aliqua, quo ex tempore fatali a nobis Schismate scissa est. Quare erit hoc sequens Exercitationis Argumentum.

## PRAELECTIO XI.

*Initia, & Progressus Erroris Graecorum circa Processionem Spiritus Sancti exponuntur.*

DE Spiritu Sancti a Patre, Filioque Processione, quae Latina tandem Ecclesiam cum Graecis Schismaticis tanto animorum aestu commisit, Traditionem habituri, absit, ut ad Ecclesiae Graecae injuriam loqui velimus. Graecam Ecclesiam Dominici Gregis portionem nobilissimam scimus, eamque, quod majus est, Pastoris ipsius, Christi scilicet, Sanguine irrigatam. Patres ea in Ecclesia floruisse quamplurimos, & avitae Doctrinae celebratissimos extitisse, nequaquam ambigimus. Concilia Ecumenica octo priora, quibus & sancta Fides est, & restituta Disciplina, ejus in sinu celebrata certo novimus. Quae omnia, & venerationem a nobis maximam, & singularem existimationem ab aequo rerum aestimatore merito postulant. Quidquid ergo dicendum a me erit, nemo vestrum, quasi ad maculam Ecclesiae florentissimae inurendam meditatam percerat; sed ad pravorum duntaxat aliquorum detegendos errores dictum accipiat; qui ab avita ipsius Ecclesiae Graecae Fide recessere, ut, Schismate factis, Spiritum Sanctum a solo Deo Patre procedentem obruderent.

Ea venerationis meae erga Ecclesiam florentissimam reificatione praemissa, dicam jam liberius, atque sidentius, quid de hujus Erroris initiis, quid de progressu absque ulla assentatione statuum existimo. Photio Graecorum Schismaticorum Duci in suo illo procedendo errore (de Spiritu Sancto a solo Patre, non item a Filio procedente) idem plane contigit, quod Ario, Eunomio, Pelagio, ceterisque hujus frontis Hominibus diu ante contigerat. Veterem ille crambem recoxit, detritasque jam, interpolatasque merces suis Gregalibus venditavit. Dicam id explicatius; quod & praesentis Exercitationis Argumentum erit adversus quorundam Eruditorum Opinacionem. Error de Spiritu Sancto a solo Patre, non item a Filio procedente, longo ante Photium temporis intervallo, Graecorum, sin minus omnium, ac certe bene plurium animos occupaverat. Nec aliud Photius, nisi petulantem audaciam, & Schisma Errori addidit; quibus fuos ab Ecclesiae Romanae fodere impotenti ambitione dissociavit. Novum

Serry Tom. IV.

illud nonnullis videbitur Paradoxum, qui Errorem hunc a Photio primum inducendum existimant. At magnis, opinor, molitionibus erit opus ad meam istam Thesim refellendam.

Id ut probem, Thesimque meam in propositulo pogam, superiora Photio tempora percurram passu retrogrado; & hujus Praefatores Erroris intento veluti digito vobis ostendam.

Et certe unicuique notum, perfectumque est, Photium primos ignes immisisse, & ab Ecclesia Schisma fecisse, abnegata Spiritus Sancti a Filio Processione, anno circiter octingentesimo sexagesimo, quo cepit in Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum virus effundere. At quinquaginta circiter annis in antecessum adversus Spiritus Sancti a Filio Processionem Graecos aliquos conspirasse, perfectum est ex Historia Synodi Aquisgranensis anno octingentesimo nono sub Carolo Magno celebrati. In qua Synodo de Processione Spiritus Sancti Quaestio agitur; utrum sicut procedit a Patre, ita procedat a filio. Quam Quaestionem Joannes Monachus Hierosolymis moverat. Similiter & Annonius *lib. 4. de Gestis Francorum cap. 95. Aquisgranum*, inquit, *Concilium a Carolo Magno habitum est, ut Processio Spiritus Sancti a Filio sanciretur. Quam Quaestionem Joannes quidam Monachus Hierosolymis movit temporibus Leonis Imperatoris.*

Quis hic porro Joannes extiterit, qui Errorem illum disseminaverit Hierosolymis, definire, nostra non interest. Joannem Damascenum illum esse putat Petrus Pithaeus, Vir de re literaria bene meritus *Opus. de Processione Spiritus Sancti*, cui ego non admodum repugnaverim: siquidem consentit conditio personae, consentit & ratio temporis. Joannes quippe Damascenus & Graecus Monachus erat, & sub Leone Isaurico Imperatore Iconomacho vitam duxit. Suffragari quoque videtur Doctor Angelicus *1. parte quaest. 36. art. 2. ubi Catholicum Dogma defendens*, cum sibi fecisset obviam Joannem Damasceni verba ex *lib. 1. de Fide Orthod. cap. 11. ubi Spiritum Sanctum a Filio minime procedere discrete significat*; respondit, ejus sententiae standum non esse, propterea quod eo in errore versatus sit. At, ut sit (non enim mihi mens est, conjecturam meam mordicus propugnare, cum sciam, Michaelem Lequien in prima Damascenica Dissertatione oppositum sustinere, ac etiam haud infirmis congruentiis probare) id nobis sufficit unum, Quaestionem hanc a Graeco Monacho, quisquis tandem ille fuerit, excitatam esse, cui consultando, atque damnando Synodum cogere necesse fuerit quinquaginta circiter annis, antequam Photius caput extolleret, ut Schisma faceret. Hoc primum Thesim a me posita Momentum esto. Concilium videlicet Provinciale Gentiliacum prope Lutetiam Parisiorum sub Pipino Francorum Rege anno septingentesimo sexagesimo sexto celebratum. Enim vero Historici pene omnes antiqui apud Gallos nostros, Annonius *lib. 4. de Gestis Francorum cap. 69. Abbas Uspergensis, Ado Vienneis, Sigbertus Regino in Chronicis* ad annum septingentesimum sexagesimum sextum observant, Pipinum Francorum Regem Concilium Provinciale ad Villam Gentiliacensem convocasse, ut Quaestionem de Trinitate inter Graecos, & Latinos definiret. Pergratum quidem nobis fuisset Historici illi, si quanam illa Quaestio fuerit, distincte notassent: magna nos difficultate liberassent, si addito verbulo rem obscuram in aperto posuissent. At quod ii adnotare neglexe-

D

RANT,